



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. lx.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Quòd in primis prædicandum sit, qualiter credere debeant. Cap. LIX.

Ex cõcil. Rotoma. cap. 1. **I**N primis prædicandum est omnibus generaliter, credant patrem, & filium, & spiritum sanctum unum Deum esse omnipotentem, qui omnia fecit, & unam esse deitatem, & substantiam, & maiestatem in tribus personis patris, & filij, & spiritus sancti.

De eadem re. Cap. LX.

Ex eodẽ, cap. 2. **I**TEM prædicandum est, quomodo filius Dei incarnatus est de spiritu sancto, & Maria virgine, pro salute generis humani passus, sepultus, tertia die resurrexit, in cœlum ascendit, in fine mundi veniens iudicare omnes homines secundum opera propria: quomodo impii cum diabolo in ignem æternum mittentur, iusti cum Christo in vita æterna erunt.

De eadem re. Cap. LXI.

Ex eodẽ, cap. 3. **I**TEM prædicandum est, quòd omnes homines in propria carne resurgent.

Vt omnis presbyter parochianis suis symbolum & orationem dominicam insinuet. Cap. LXII.

Ex cõcil. Remensi, cap. 8. **V**T omnis presbyter omnibus parochianis suis Symbolum & Orationem dominicam, aut ipse insinuet, aut aliis insinuandum iniungat, & quum ad confessionem tempore Quadragesimali veniunt, hæc ab unoquoque memoriter sibi decantari faciat, nec ante sanctam communionem alicui tradat, nisi hæc ex corde pronuncians nouerit. Siquidem sine horum scientia nullus saluus esse poterit. In uno enim fides & credulitas Christiana continetur: in alio quid orare & petere à Deo debeamus, exprimitur. Quòd sine fide nemo possit esse saluus, dominus ostendit, quum dicit: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Nullus autem credere potest quod nescit, nec audire. Ait enim Paulus: Quomodo credent ei, quæ non audierunt? Nec sola sufficit fides in corde, nisi etiam verbis enuncietur, ut idem Apostolus testis est: Corde enim, inquit, creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Nullus autem de stoliditate sensus, vel tenuitate ingenij causetur: quia hæc tam parua sunt, ut nemo tam he-